

vi

blice testatum facerem, quantum eidem Pontifici Maximo non ego dumtaxat, ob collata in me ab ipso beneficia, sed Vaticana etiam, cui primarius Custos praesum, Bibliotheca debeat, quam tum nova superstructa sumptuoseque exornata Aula in formam splendidiorem rededit, tum providis legibus communivit.

Ut hunc igitur alterum ejusdem operis mei Tomum, splendido Tuo potissimum nomini, EMINENTISSIME PRINCEPS, inscribi oporteret, deliberandum mihi non fuit. Nimirum ad hanc officii mei partem tum illa me compulit causa, quam cum pluribus aliis communem habeo, quod ab eodem Summo Pontifice Rempublicam Christianam sapientissime moderante, Bibliothecæ Vaticanæ Protector, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Bibliothecarius es constitutus; tum ea in primis, quæ metipsum, mihi propria ac peculiaris, urget. Obversatur quippe animo meo

ALBA-